

*Murciam* huc non esse ablegatum, ut plus *Cereri* (cujus filia est Proserpina Plutonis infernalis marita) aut *Baccho*, Deo astro illi cornuto & furioso, aut *Veneri*, quæ credita fuisse in Ethnicorum cœlo, quod *Helena* in Græciæ territorio, quam *Palladi* severiori, serenioribus *Musis*, ipsique *Eusebia* devotiori litaret: *Ubi non sunt Lira, ibi ste.* Suam itaque & suis & nobis abundè, in publico quoque, probavit industriam, quando in ferijs *Natalitij Christi* ann. MDCLXXV. *parodiam Eclogæ primæ Maroniane memoriter recitavit, & in Paschalib<sup>9</sup>* anni præcedentis de *Resurrectione Christi* orationem Latinam proprio Marte commentatus est. Abiturus jam ad Academica studia nos *volentes* habet & *voventes*, ut bonos quosq; atq; pacificos æmuletur FRIDERICOS, ut verbum DEI libenter *audiat*, ipsius mirabilia devotè *consideret*, laudem ejus intrepidè *annunciet*, inque viâ pacis jugiter *ambulet*, ad quæ cor ipsi DEUS aperiat, *oculos* illuminet, *linguam* exasciet, *plantasq; pedum* dirigat: id quod & nos, *audis & scis* ó DEUS! quotidianis suspirijs pro alijs quoque precamur, ut ad sobrietatem redeant, mentis compotes fiant, & resipiscendo è laqueis Diaboli sese abstrahant *ἰζωγενένοι ὑπ' αὐτῶν εἰς τὸ ἐκείνῃς ἁλῆμα, II. Timoth. II, 26.*

Vos verò, Patroni & Amici faventissimi, huic etiam *vicino nostro* audientiæ gratiam rogati exhibete, & nobiscum *quævis incendiorum genera* deprecamini. *Audiat & exaudiat DEUS.*

P. P. BUDISSÆ Lusatiaë mense Septembri anni quo rogamus:

Ne sæViant InCenDia,  
In nos freqVenter pLVrlMa,  
præslt IehoVæ gratia.

